



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 11. De absolute danda, neganda vel differenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

nitur, in se formaliter peccatum mortale, ergo qui non vult relinquere, non est dispositus ad absolutionem. Tan. l. c. n. 108. nisi necessitas adsit tanta, quæ excuset ab obligatione Legis, atque ita occasione demat rationem peccati, & scandali activi. Unde in casu tantæ necessitatis, qui utriusque non est frequens, etiam publicus peccator, licet occasionem proximam non vellet dimittere, posset absolvi, quia scandalum esset tunc non datum, sed tantum acceptum & passivum, vide Tamb. l. 3. c. 3. n. 12.

## §. XI.

## De absolutione danda, neganda vel differenda.

107. Denique generatim loquendo Confessarius audita pœnitentis confessione, vel judicet ex sufficienti fundamento eum esse ritè dispositum ad absolutionem percipiendam, vel non esse. Si hoc posterius, tunc Confessarius debet, quantum potest, laborare, ut eum ritè disponat: neque potest eum non absolutum sine gravi causa dimittere, inquit Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. V. Dico III. ut sup. n. 103. saltem si absque culpa sua venerit indispositus. Palao de pœnit. Disp. un. p. 18. §. 2. n. 12. quia causa Judicii Sacramentalis capta est, ergo si, cum commodè potest, non perficitur, inferitur grave onus pœnitenti; & non levis irreverentia Sacramento. vide sup. n. 84. & inf. num. 132. Sin autem Confessarius prudenter judicet, pœnitentem esse ritè dispositum (signa ex quibus id judicare potest allata sunt sup. lib. 1. p. 2. n. 104. & 114.) tunc ei non potest simpliciter negare absolutionem, ut dictum supra cit. n. 87. An autem liceat

eam differre, dubium est. Nam Joann. Sanch. Disp. 9. n. 12. contendit, id nequidem cum pœnitentis consensu, utpote non rationabili fieri posse. Sed rectius alii affirmant, & quidem non tantum, si pœnitens consentiat (quod prudenter facit in ordine ad hoc, ut adhuc melius se disponat) sed etiam absque ejus consensu, si Confessarius prudenter judicet, dilationem ei profuturam, ut gravitatem peccati melius agnoscat, magis caveat à relapsu &c. vel si Confessarius ex justa causa, ut potest, velit pœnitentiam ante absolutionem impleri. Nam etsi Sacramentum captum debeat perfici, & pœnitenti Jus suum tribui, necesse tamen non est, ut semper statim fiat. Confessarius quoque non est tantum Judex, sed etiam Medicus; ergo dilationem absolutionis, cum aliquo modo necessaria videtur, potest tanquam medicinam pœnitenti etiam invito applicare. Tamb. de conf. l. 3. cap. 3. n. 14. & 15. Dicast. Disp. 6. n. 374. qui tamen rectè monet, hoc remedium ordinariè non expedire, nec facilè adhibendum esse pœnitentibus ritè dispositis & invitis, ut sup. lib. 1. p. 2. n. 107. pluribus probatum est. Juxta quæ intelligendum est & hoc à S. Franc. Xaverio Confessariis quoad graves peccatores dari solitum documentum. lib. 6. vita. cap. 17. Confessionem non continuo sequatur absolutio.

## ARTICULUS III.

## De Officio Confessarii circa Pœnitentiam injungendam.

De hac prout à pœnitente implenda est, actum fuit jam sup. lib. 1. p. 4. à n. 5. Superest